INDEX
LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

CRACOVIENSI

A DIE I. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXXIV.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXXV.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE
TYPIS UNIVERSITATIS.

CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS

RECTOR
CAROLUS HUBE

PHILOSOPHIAE DOCTOR

CUM

SENATU ACADEMICO

S. P.

Inter scriptores, qui res gestas Polonorum memoriae tradiderunt, primum tenet locum Johannes Longini Dlugossus, qui anno 1415. natus est, anno vero 1480. supremum obiit diem. (Vid. Sołtykowicz o Stanie Akademii Krakowskiej p. 141-156.). At e variis ejus scriptis, alia typis expressa, in manibus omnium, qui patriam adamaverunt historiam, versantur, alia nondum publici juris facta, in bibliothecis tum publicis tum privatis, magno cum rei literariae detrimento, latere videntur. Ad horum ultimorum numerum pertinent quinque ejus epistolae ineditae, quarum prima ad Sbigneum Cardinalem et Episcopum Cracoviensem, altera ad Stephanum de Hohenberg anno 1470., tertia ad Palati-

num Cracoviensem, Johannem de Thanczin, anno 1473, quarta ad Dm. Officialem Cracoviensem Raphaelem de Skawina, quinta denique ad Cancellarium scripta fuit. Si verum est, et verum esse nemo negabit, id, quod apud Platonem Aegyptius ille sacerdos Solon dixisse fertur: semper pueros esse eos, qui vetustatis cognitione careant, quis est, qui ex divulgandis litteris gravissimi rerum nostrarum scriptoris vel mediocrem non capiat voluptatem? His persuasi, epistolam primam, quam autographam esse censemus, typis mandare decrevimus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO S. MISERATIONE DIVINA TITULI S. PRISCE PRESBYTERO CARDINALI ET EPISCOPO CRACOVIENSI DOMINO MEO GRACIOSISSIMO.

Reverendissime in Christo Pater et Domine graciosissime. Hesterna die de manibus Goliskij accepi litteras Vestre Paternitatis, alacritate non mediocri concepta, visa manus sacre vestre et benedicte scriptura, felicem me ratus, quod in hoc tempore quo a Vestra Paternitate separor, literas articulo Vestre Paternitatis exaratas accipere meruerim; unde et illas diligencius pro memoriali perpetuo recondam, sublatis ex illis aliquibus verbis, que possent ad contumeliam aliquam retorqueri. Si autem Paternitas Vestra accepit litteras meas, quas pridem per familiarem Domini Alberti Notarij misi, intelliget me super provisione prebende Visliciensis, spiritum Vestre Paternitatis habuisse, et ejusdem respectibus motum, non favisse Domino Danieli de illius provisionis, quam Vestra Paternitas sibi facere dignata est sorte, ne amicus, de quo Paternitas Vestra in disponendis rebus Ecclesie plurimum indiget, pro re parva fuisset offensus et D. Daniel litibus implicatus. Actum est igitur ordinacione mea, quod filius Domini Judicis Stanislaus, qui iam vigore regie nominacionis fuit installatus et pro quo decimarum possesio fuit occupata, petente Dno Judice et solicitante; volebat enim D. Johannes Szczekoczki per me avisatus, si Dominus Judex negligendum putaret,

illam accipere, per Magistrum Johannem de Elgoth auctoritate paternitatis vestre de praefata prebenda provisus est. Magis enim favendum erat filio Domini Judicis de illa, quam Domino Szczekoczki, in finem, sicut contigit, ut nominacio regis perimeretur, et pro beneficio tenui non fierent lites, nec odia. Dominus noster Rex plurimum disiderat Vestre Paternitatis adventum et continue inquirit, quando Paternitas Vestra ingredi debeat. Nullus probat quod Dominus Palatinus Cracoviensis vitat presenciam suam vel pocius fugit et reddit se sibi vehementer suspectum. Causam de hoc Rex coram pluribus questus est; sed et hostes et invisi sui insultant de hoc, et publice illum carpunt, et credo quod occulte forcius, et in tota curia hostis regius et adversarius nominatur. Sed et amici quondam sui, faciunt natura eorum, et augent nubilum et rumorem, prout et de Paternitate Vestra faciebant. Consulo ut Paternitas Vestra celerius, quam conceperat, huc adveniat; et sensim ac paulatim, hos qui displicent mores, a principe detrahat. In multis iam sapere incipit, et aliqua deponere. Optimum iudicarem, ut Paternitas Vestra medicinaliter curaret illum et non exprobrando, sed dando raciones reformaret, quod restat, postquam aliud esse non potest; nisi optet, ut omnia ex eo dependeant et decreta sua si sanari non possunt, irritari non possunt. Favorosus Jacobo Kobileńsky esse incipit, de quo omnes Lithuani expavescunt. Si aliquos amovent, qui cantant *placebo*, credo omnia alia faciliter fierent. Litteras ad Dominum nostrum Papam dare distulit, donec Paternitas Vestra advenerit. Non recusat enim et litteras dare et intimare per hos, qui ituri sunt Romam, nuncios, quicquid Paternitas Vestra sola suaserit. Venire itaque dignemini et non silere eam, quam scitis, veritatem. Estimo quod Paternitas Vestra grate audiet. Rogo autem non velit Paternitas Vestra illa, que sibi dedit, tam crebro enumerare munera; pervenit enim eciam ad ipsum hujusmodi enumeracio, unde et aliquando dicere habuit: collectis omnibus, que michi dedit, reddam sibi, ut non sum tot exprobracionibus obnoxius. Multo melius est, ut Paternitas Vestra ea, que jam difficulter corrigi possunt, in meliorem interpretaretur partem, et vultum letum sibi ostendat. Sed nec Paternitas Vestra de homine, qui donacionem Sandomiriensem suggessit et practicavit molesta sit. Egit, puto ego, pure et fideliter omnia anhelans, et siciens consumare ea, que honorem, famam et gloriam V. P. contingebant. Si quid preter spem accidit, non negligencie, non du-

plicitati sue sed fortune tribuendum est. Nemo ex omnibus, qui V. P. sanguine juncti sunt, honores V. P. quantum ille sitit et suspirat et ceco aliquando, ut sepe fit, amore captus, labitur delusus et circumventus aliorum vafro ingenio. Attendere potest V. P., quod omnia sua et se consumit; vigiliis laboribus et acerbitatibus plurimis se exponit, ut rebus P. V. et tocius Domus vestre subveniat. Novi ego et expertus sum persecuciones suas; novi contumelias, que sibi continue subministrantur. Et publice et privatim non recedit de labiis et lingua illorum, qui prosunt. Verentur enim indolem suam, verentur diligenciam, verentur liberalitatem, verentur prudenciam, verentur amicorum gregem, verentur mores. Jlla est eorum sollicitudo amplior, ut eum ex arce, quam apprehendere inicipit, dejiciant, videndo quod nullatenus illi dotibus nature et aquisitis pares esse possunt; et propterea mordent illum, mordent et se ipsos. Favere illi P. V. saltem velit et cursum adjuvet. Venia omnium loquor, in domo P. V. nemo nunc est, quem credo et in mores et tandem in merita P. V. posse eque succedere; laetari V. P. debet, quod illum post se videt orientem, et sperare, quod persona sua in magnum decus et ornamentum Domus V. P. succedet. Non hec ego de illo sua benevolencia deceptus loquor, sed quod in re verum est. Jnvectus pridem fuit Dominus Rex, prout aliis litteris scripsi, contra eum, et gravibus verbis illum publice obruit, propterea, quod credebat domum M. Radahoncze, que jam michi heri collata est, per capitulum Domino Miklaschoni, pro quo Rex intercedebat, non cessisse ex impedimentis, que condebat, vel prout sibi per amicos nostros suggestum fuit, per dominum prepositum subministrata fuisse. Habuerunt ex hujusmodi invectiva invidi sui magnum risum et cachinum, sed post succesit eis dolor et anxietas. Nam d. Rex comperta innocencia sua et argutus per d. Reginam et alios placando eum misit sibi hodie Marsczenyecz. Ad tenutam Pyandziczoviensem, multum necessarius est vir solicitus, fidelis et oculatus. Dominus quidem Marcus et bonus vir est et fidelis, aliquantulum tamen delicatus et qui in occupacionibus variis durare non posset et facile anxietatibus frangeretur. Repperi hominem iudicio omnium aptum ad rem hanc, ignotum vultu et moribus, nunquam enim vidi illum, quendam presbyterum Sventhoslaum Concionatorem Ecclesie in Sokolnia, qui opinione vulgari ad procuranda temporalia plurimum habetur celebris. Curat villam Charbmovicze et jam aliquociens Dominus

Gnesnensis Archiepiscopus misit pro eo, volendo eum preficere majoribus, sed renuit nolens has deserere partes. Eliget servire V. P., quam Archiepiscopo, et veniet quandocunque V. P. sibi mandaverit. Aut hunc igitur, aut plebanum de Chotel V. P. accipiat; in tenutam uterque spero bonus est, ille tamen de Sokolnia multum famatus est. Jam enim nec pro Szandziczensi nec Rzyepinensi plebanis mittam, credens, quod unus ex istis complacebit V. P. De Plebano in Rzyepienniky modicam vel nullam ego estimationem facio. Crassus est tardusque et piger ad omnia; Schandzischoviensem non novi. Cum Domino Plebano de Zbodzanczin feci longum eundo in Cracoviam sermonem, et ita illum stabilem inveni, quod consensit cum magna gratitudine accipere locum Domini Henrici et fideliter servire V. P. Puto, quod inter servitores V. P. melior quo ad hoc reperiri non possit. Verum timet ne in discordias cum Domino Vladario Cracoviensi deveniat, sed illo non obstante faciet, quodcunque sibi V. P. imperaverit. Ad continuacionem laboris in Pyandziczow ne laboratores dispergerentur, ordinavi, quod Dominus Vladarius Cracoviensis per Dominum Czasnochowski, qui die crastina ad V. P. progreditur misit decem marcas in manus Domini Michaelis Viceprioris, ut laboratoribus solvantur labores, donec V. P. de ampliori pecunia providerit. Firmavi autem cum Domino Vladario Cracoviensi, quod aut Martinum Muratorem, aut filium Czipsar mittet in Pyandziczow ad P. V. pro feria quarta post Jnvocavit. Jntelligo quod filius Czipsar instabilis est, propter quod pocius mittetur prefatus Martinus. Nam non est alius qui majorem reputacionem habeat. Mandato regio hodie in medio consilii fecimus sponsionem, quod negocia Regis super Ecclesia Vladislaviensi magis promovebimus, quam inficiemus, quum alias et Magister Elgoth et ego fuissemus arestati. Dominus Vicecancellarius volebat invehi contra me, sed habuit a me responsum bonum et conticuit. Nullus hec omnia nisi Dominus Gruszczinski cum Domino Castellano Lublinensi subministravit. Magister Thomas ut alias scripsi, accepit onus, de quo admirantur omnes, sed et ipse nunc plurimum vacillat et penitet. Adjunctus est eciam eis in his Credencialibus, Magistro credo Thoma procurante, Dominus Luthko de Brzesze; Dominus autem Johannes Ligansza Castellanus Byeczensis puto jam non vadet. Hodie dum ex Cracovia in hunc locum recedere pararem, venit cursor ex urbe Jacobus et duas mihi litteras attulit, unam Magistri Thadaei ali-

am Johannis Mocz. Utramque originaliter V. P. mitto, videbit ex eis V. P. aliqua non ingrata. Miror quod littere V. P. a Domino Papa et predicto Thadeo misse, non sunt hucusque reddite. Timeo quod in via intercepte sunt. Littere super Ecclesia Kijoviensi puto non habebunt expedicionem, nisi me urbem intrante, propter aliquam difficultatem, que interponitur de emungendo aliquali auro, prout V. P. in littera Jo. Mocz videbit. Pro Secretario Cardinalis Morniensis recepi duo Blamy pro septem florenis de Tchorze, et estimo erit de illis contentissimus et serviet in aliis multis V. P. Domina Regina nullatenus voluit consentire ut aliam haberet prebendam M. Borzmowski nisi Dominus Roy, avisata aliquorum litteris, quod Dominus Albertus penitenciarius mortuus sit, vel in brevi moriturus. Non est amplius de illa prebenda spes habenda aliqua; aliam oportebit captare viam, ubi Dominus Ottha consenciet, in finem, ut Dominus Andreas nepos V. P. esse possit Cononicus; forte Dominus Czasntkowski reciperet minorem et cederet de sua, prebenda Sandomiriensi accepta, quoniam et Dominus Adamus suam resignare horret et refugit. De canonizatione Beate Hedvigis Regine modica apud me est spes. Supervacue verberamus aërem. Non est enim spes ut pecunie Contributionis ad illum deputarentur usum, quarum major pars jam distracta est. De Chartusia facilem video viam dummodo Domina Regina firma sit, prout promisit. Spero habebit P. V. intentum; si solicitare diligencius factum ceperit. Magister Borzmowski nihil horum puto faciet, que eum opinio communis facturum sperabat, rumor ille quem prius descripseram iam quievit. Dominus Raphael Skawinski vicariatum suscepit, per me persuasus; si renunciasset, non videbam alium pociorem nisi Magistrum Paulum de Zathor. Siligo de Usthow missa nihil valet, vix illam scrophe eomederent. Cras dante Domino in Usthow constituam et ordinabo, ut alia melior siligo triturata deducatur Cracoviam, ne cogatur V. P. pecuniis panem coëmere. Ante dies plures Comorowski miserat nuncium suum Pikam Cracoviam, non propter aliud, nisi ut Dominum Castellanum Cracoviensem et Dominum Schaffraniecz rogaret, quantas sibi assistencias facerent. Uterque se benevolum optulit et repromisit omnem assistenciam, dummodo non sit contra V. P. Tractabo ea que scivero cum Comorowski, et si quid avisandum fuerit, avisabo per familiarem meum Pietrzikonem, quem nonnisi ex Podolino remittam. Castellanus Lublinensis accersito per nuncium

proprium Magistro Marco, multas querelas coram eo de V. P. effudit, asserens, quod P. V. negocia Domini Lyaszky ubique promovet et Dominum Gruszczinski deprimeret et quod in evidenciam hujus rei magistrum Marcum suscipere onus legacionis vestre regie vetuit. Replicabat tamen magister Marcus non esse verum de prohibicione, sed quod ipsemet nunquam volebat onus hujusmodi assumere. Magister Elgoth nondum dedit pecunias Contribucionis Domino nostro Regi, et hodie ex Cracovia ad iter suum recedens, ipsas apud Paulum Magistrum de Zathor reposuit, qui quamprimum requiretur, dabit illas; nec potest aliud facere, cum bulla nichil de Thartaris tangat, licet sub illo colore Papa consenserit. Contribucio pro V. P. nondum data est, sed nec dabitur, donec V. P. Cracoviam advenerit. Regius Cracoviam ingressus fuit Sabbato ante Purificacionis. Ordinatum erat, prout P. V. iusserat, ut omnes Ecclesie processionaliter suum exciperent et honorarent adventum, sed pluvia precedens et illo die habita prohibuit processiones, sed et ipse Rex avisatus per Dominum Vicarium, quod mandato P. V. constrictus volebat sibi processionaliter occurrere, misit, ut nullatenus egrederemur. Itaque continuimus nos et non nisi ante primas fores Ecclesie suam Majestatem ex equo descendentem, dum jam major missa cantaretur, excepimus. Altare majus reliquiis Sanctorum, ut V. P. jusserat, ornatum splendebat; ille quoque ornatus iterum in festo Purificacionis resumptus est. Honore mense in festo Purificacionis fuimus omnes de Capitulo excepti per Dominum Regem et opipare tractati. Suggestum autem Domino Regi fuit, ut nos tunc sollicitaret, quatenus sibi molendinum de manibus Georgii Sworcz liberaremus, quod in aliquot millibus obligatum est. Non fuimus tandem requisiti, sed et si fuissemus, multorum Cannonicorum capitulares census non suffecissent pro illa redempcione. Italicus ille nulla fungitur legacione. Motu proprio venit Dno solum referens: primum, quod Dominus Vladislaus Hungarie Rex ipsum et fratrem suum Andream Pallacij nobilitaverit, tanquam servitores suos fideles; secundum, quod ipse venit huc ad serviendum Domino Regi, rogans, ut ipsum pro Servitore suo tenere dignetur. Certa sit V. P., quod Dominus Sprowski mandato regio apprehendit possessionem Archipresbyteriatus Sandomiriensis, nec Dominus Derslaus, aut fratres sui, timendo indignacionem Regis, ausi fuerunt facere opposicionem. Necessarium erit eo celerius expedire causam, presertim in partis contuma-

ciam. Spero enim quod nec Rithwensky ullus veniet, nomine vero Voysthik minus. Mittetur, quod si causa non habebit celerem expedicionem, citatio contra omnes. Ad videndum eos declarari, quod ingesserint se de beneficio reservato, Magister Marcus solicitabit. Jam enim solariatus (sic) est per Dominum Nicolaum Archidiaconum viginti florenis. Consului tamen ego ipsi Domino Nicolao, ut iuxta conclusa attemptaret, cum Rithwensky, concordiam, ut facilius posset vincere et nullum ius habenti resistere. Optime V. P. cogitaverat mittere michi orginaliter litteram Regis pridem missam, ut fuisset et Pape et Cardinalibus ostensa, cujus ego duntaxat copiam mecum porto. Albertus Notarius nec fuit aput me, nec literam misit. Laudarem, ut alia similis de meliori materia stabiliretur et mitteretur post me et in absencia mea praesentaretur Magistro Marco, alia nihilominus apud V. P. remaneret. Ita enim cum Domino preposito practicaveram. Nova nulla sunt. Me V. P. humiliter recomitto. Datum in Wawrzynczice feria quinta die Sancte Agathe. Anno etc quinquagesimo. V. P. humilis Capellanus et Servitor.

Johannes Dlugosch.

Caeteras Epistolas, Deo juvante, proximo dabimus anno.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut sub tutela Augustissimorum Imperatorum et Regum, liberae Civitatis nostrae Protectorum, diuturna fruamur pace, quae ad excolenda studia maxime et unice confert.

ORDO THEOLOGORUM

JOANNES B. SCHINDLER J. U. ET S. TH. D.

SACRÆ SCRIPTURÆ P. P. O. SANCTISSIMI DOMINI PRÆLATUS DOMESTICUS, ECCLESIÆ CATH. CRAC. CANONICUS. GYMNASII DIRECTOR, FACULTATIS THEOLOG. H. T. DECANUS.

Horis mat. 10—12. diebus Martis, Jovis et Veneris Archaeologiam, Hermeneuticam biblicam, Jntroductionem in LL. SS. utriusque Foederis duce Ackermann et Exegesim duce Calmel, diebus vero Lunae Martis et Saturni hor. mat. 11—12 linguas orientales auditores anni 1mi et 2di docebit.

STANISLAUS PRZYBYLSKI S. TH. D. P. P. O.

ECCLESIÆ CATHEDR. CRACOV. CANONICUS.

Horis pom. 2—4 diebus Mercurii et Veneris, Saturni vero hor. pom. 3—4 Theologiam dogmaticam duce Kluepffl auditoribus 2di anni, et hor. pom. iisdem diebus Lunae et Martis Theologiam moralem duce Stapf auditoribus 3tii anni profitebitur.

NICOLAUS JANOWSKI S TH. D.

ECCLESIÆ CATHEDR. CRACOV. CANONICUS.

Horis pom. 2—4. diebus Lunae, Martis, Mercurii, et Veneris Saturni vero hor. pom. 2—3. Historiam Ecclesiasticam et Patristicam auditoribus 1. anni tradet.

MATHAEUS KOZŁOWSKI ORD. PRÆD. S. TH. D.

Horis mat. 9—11 diebus Lunae, Martis Mercurii et Veneris, Saturni vero 10—11. Theologiam pastoralem, Catecheticam et Didacticam auditores 3tii anni instruet.

ORDO JURISCONSULTORUM.

FELIX SŁOTWIŃSKI PHIL. ET J. U. D. P. P. O. FACULT. JURID. H. T. DECANUS.

Horis mat. 8—9 diebus Veneris et Saturni Historiam juris Romani duce Bachio, institutiones duce Heineccio auditoribus 1mi anni

Horis pom. 3—4 die Martis, diebus vero Veneris et Saturni hor. mat. 8—9 auditoribus 2di anni Jus Ecclesiasticum secundum Programma, quod typis edidit

Horis denique mat. 9—10 diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis auditoribus 2di anni Pandectas ducibus Westenbergio, Warnkoenigio et Mühlenbruchio interpretabitur.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI J. U. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10½ quotidie, exceptis diebus festis, docebit jus civile, mercantile et processum extrajudicialem.

ANTONIUS MATAKIEWICZ J. U. D. P. P. O.

Horis mat. ½8—9 diebus Lunae et Jovis leges fundamentales Civitatis Cracoviensis et jus Criminale auditoribus primi anni exponet.

Horis autem mat. ½8 — 9 diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni Processum civilem judicialem auditoribus 3tii anni praeleget.

FERDINANDUS KOISIEWICZ J. U. D.

Horis mat. 9–10 quotidie, exceptis diebus festis, Oeconomiam politicam et jus Naturae (privatum, publicum et gentium) explicabit auditoribus 1mi anni.

Horis vero 8–9 diebus Martis, Mercurii et Veneris scientiam aerarialem, Politiam et Statisticam auditoribus 2di anni tradet.

ORDO MEDICORUM.

JOSEPHUS BRODOWICZ M. D. P. P. O.

INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR FAC. MED. H. T. DECANUS.

Horis mat. 8–9. Praxin medicam ad lectos aegrorum; 9–10. Pathologiam et Therapiam specialem, e propriis manuscriptis, quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, docebit.

ALOYSIUS ESTREICHER PH. ET M. D. P. P. O.

HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Horis mat. 10–11½, diebus Lunae, Mercurii et Veneris Historiam naturalem universalem, diebus vero Martis, Jovis et Saturni iisdem horis, semestri hyemali, primo Mineralogiam, dein Zoologiam specialem, semestri denique aestivo,

Hor. pom. 6–7. Botanicen specialem docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI M. D. P. P. O.

Horis mat. 7½–9. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Pharmaciam; diebus autem Martis Jovis et Saturni Chemiam generalem et applicatam docebit; praeterea die Jovis

Horis pom. 2–3. Chemiam politico-forensem illustrabit.

LUDOVICUS BIERKOWSKI PHIL. M. ET CH. D. P. P. O.

JNSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Horis mat. 10—11. quotidie, festis exceptis, Praxin Chirurgicam per integrum annum moderabitur.

Horis autem mat. 11—12. semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Chirurgiam theoreticam generalem et specialem duce Chelio, e propriis manuscriptis, die Saturni primo Doctrinam de morbis syphiliticis e proprio libro (Choroby wenerncżne w Krakowie 1833.), hac vero finita, Desmurgiam et Mechanurgiam explicabit; denique iisdem diebus et horis semestri aestivo, quinquies per hebdomadem Chirurgiam secundum librum suum Berolini 1827. germanice editum, interpretabitur; semel vero doctrinam de morbis oculorum e propriis scriptis tradet.

Praetera operationes chirurgicas in cadaveribus bis per mensem instituet.

JOSEPHUS KOZŁOWSKI M. D.

Horis mat. 9—10. Anatomiam duce Schalgruber.
Horis vero pom. 3—4. Physiologiam duce Prochaska, quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, per integrum annum docebit.

Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobris ad Aprilem quotidie per duas horas auxiliante Professoris Adjuncto, a Candidatis instituuntur.

JULIANUS SAWICZEWSKI M. D.

Horis mat 12—1. quotidie, festis et Saturni diebus exceptis, se-

mestri hyemali medicinam forensem, aestivo Politiam medicam duce Berut docebit.

Horis vero pom. 5—6. iisdem diebus per totum annum historiam medicinae et Chirurgiae duce Sprengel enarrabit.

CAROLUS SOCZYŃSKI M. D.

Horis mat. 12—1. diebus Lunae, Mercurii et Jovis Theoriam artis obstetriciae, semestri primo pro Candidatis Medicinae et Chirurgiae, semestri secundo pro foeminis obstetric. docebit. Diebus Martis et Veneris iisdem horis hyeme doctrinam de morbis foeminarum, aestate de morbis infantum exponet.

Praxis obstetricia quotidie, mane a hor. 7—8. in Clinico obstetricio, demonstrabitur.

JOSEPHUS MAJER M. D.

Semestri hyemali — hor. mat. 12—1. diebus Lunae et Jovis Elementa Psychologiae et Logices; diebus Martis, Mercurii et Veneris Physiologiam et Pathologiam generalem.

Semestri aestivo prioribus diebus et horis Elementa Physices, posterioribus Therapiam generalem et Pharmacologiam, e propriis schedis Chirurgis inferioris ordinis, 1mi et 2di anni polonice explicabit. Chirurgis vero anni 3tii Pathologiam et Therapiam specialem duce Raimann hor. 5—6. post merid. diebus Lunae, Mercurii Jovis et Veneris per utrumque semestre docebit.

Tandem aestate die Saturni Elementa Artis veterinariae duce Niemann per horam exponet.

FREDERICUS SKOBEL M. D.

Horis mat. 8—9. quotidie diebus Saturni et festis exceptis, primo Propedeuticam in Studia medico-chirurgica per mensem, hac vero terminata Pathologiam et Therapiam generalem per reliquum anni tempus exponet.

Horis vero pom. 4—5. iisdem diebus materiam medicam et diaeteticam docebit, ducibus Hartmann et Sprengel.

ORDO PHILOSOPHORUM.

CAROLUS HUBE PHIL. D. P. P. O.
UNIV. JAG. RECTOR MAGN.

Horis mat. 8—10. diebus Lunae et Veneris, hor. item mat. 8—9. diebus Martis, Mercurii et Jovis Mathesin elementarem tradet auditoribus 1mi anni.

MAXIMILIANUS WEISSE PH. ET J. U. D. P. P. O.
FACULT. PHIL. H. T. DECANUS OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR

Horis pom. 2—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Mathesin sublimiorem ducibus Burg, Ettingshausen et Poisson tradet.

Horis vero pom. 3—4. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Astronomiam ducibus Santini et Littrow docebit.

GEORGIUS SAMUEL BANDTKIE PHIL. D. P. P. O.
ET BIBLIOTHECARIUS.

Horis mat. 9—10. diebus Lunae, Martis et Mercurii Bibliographiam duce Denis docebit.

ROMANUS MARKIEWICZ PH. D. P. P O.

Horis mat. 10—11½ diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis horis autem 10—11 diebus Veneris et Saturni Physicam auditoribus 2di anni explicabit, opus A. Despretz secuturus.

Horis denique 11—12 diebus Solis Mechanicam popularem artificibus duce Baumgartner tradet.

JOSEPHUS JANKOWSKI PH. ET J. U. D. P. P. O.

Horis pom. 1—2 diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Psychologiam et Logicam auditores 1mi anni docebit.

Horis autem mat. 9—10. diebus Martis Mercurii et Jovis Ethicam auditoribus 2di anni exponet.

Horis denique 1—2 diebus Jovis et horis 1—2 diebus Saturni Historiam Philosophiae profitebitur.

CAJETANUS TROJAŃSKI PH. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10. diebus Mercurii et Saturni Philologiam latinam et horis iisdem, diebus Martis et Jovis, Literaturam polonicam auditoribus 1mi anni tradet.

Horis vero mat. 8—9. diebus Mercurii et Saturni Philologiam latinam, et horis iisdem, diebus Martis et Jovis Literaturam Polonicam auditoribus 2di anni exponet.

MICHAEL WISZNIEWSKI PH. D. P. P. O.

Horis pom. 2-3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Historiam universalem auditoribus 1. anni tradet duce Ruehs et Heeren.

Horis pom. 2—3 diebus Martis Jovis et Saturni Historiam universalem auditoribus 2di anni tradet ducibus iisdem ut supra.

Horis denique 3--4 diebus Lunae et Veneris Historiam Literaturae universalis duce Wachler exponet.

LEO LAURYSIEWICZ T. D.

Horis pom. 2—3 diebus Martis et horis mat 8—9. diebus Saturni Doctrinam Religionis auditoribus 1mi anni

Horis vero mat. 8--9. diebus Lunae et Veneris Doctrinam Religionis auditoribus 2di anni exponet.

Horis denique mat. 10—11. diebus Martis et Saturni Linguam graecam docebit, et horis pom. 3—4 diebus Martis et Saturni Paedagogiam tradet.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI PH. D.

OBSERVAT. ASTR. ADJUNCTUS.

Horis mat. 9—10. diebus Lunae et Saturni, die autem Jovis hor. 12—1. Mathesin sublimiorem docebit.

Lectorium in Bibliotheca publica Univer. Cracov. semestri hyemali quotidie exceptis festis a hora mat. 9—1. semestri aestivo a hor. mat. 9—12. et post merid. a hor. 3—6; Observatorium Astronomicum horis pom. 3—6. diebus Jovis et Solis; Museum physicum die Mercurii a hora 9. matutina ad 12. curiosis qui adesse dignabuntur, patebunt; Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Observatorium Musea et Hortos Bo-

tanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et horti bot. condonare velint.

Linguam Germanicam hor. pom. 5—6. Augustus Otremba, Gallicam quotidie hor. 11—12. et insuper diebus Lunae et Mercurii hor. pom. 3—4. Franciscus Aubertin, Rossicam hor. pom 2—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris diebus vero Martis, Jovis et Saturni hor. pom. 4—5. Alexander Serna Solowiewicz docebunt.

ZA POZWOLENIEM CENZURY RZĄDOWEY.